



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XXXV. Vt nullus comes, nullusque iudex diebus festis vel dominicis, seu  
ieiuniorum aut quadragesimae, placitum habere praesumat, & vt nullus  
poenitens illo veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI  
895.  
nequeunt distingui. Idcirco iustum decernentes,  
statuimus cum interfectoribus misericordius agen-  
dum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indul-  
gentius transactis, penes episcopum sit auctoritas  
& potestas, vt perpendat culpam, agat indulgen-  
tiā.

XXXV.

Secundum sanctorum statuta patrum, in hoc  
sancto præjudicamus Concilio, vt nullus comes,  
nullusque omnino sacerdotalis diebus dominicis, vel  
sanctorum in festis, seu quadragesimæ, aut ieunio-  
rum, placitum habere, sed nec populum illo præ-  
sumat coercere: *Quia inde irascitur Deus, quod*  
*cum tantum suo sancto seruitio debet populus de-*  
*fudare, inueniatur lites & contentiones frequenta-*  
*re. Diebus vero dominicis & sanctorum festis, vigi-*  
*liis & orationibus insistendum, & ad Missas cuili-*  
*bet Christiano cum oblationibus est currendum, &*  
*tantummodo Deo vacandum. Diebus quadrage-*  
*simæ & ieuniorum summa deuotione ieunan-*  
*dum, & omni intentione est orandum, atque vni-*  
*cuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuen-*  
*dæ, & nullæ lites vel contentiones habendæ. Ar-*  
*guit enim eos, qui contentiones & lites tempore*  
*ieiuniorum, & qui a debitoribus debita exigunt,*  
*Dominus per prophetam, dicens: Ecce in diebus ie- 1*mai. 58.**  
*uniiorum vestrorum inuenitur voluntas vestra, & om-*  
*nnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentio-*  
*nes ieunatis & percutitis pugno impie. Ideo nobis,*  
*qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, sum-*  
*mopere curandum & prohibendum est, ne nostra*

Oooo iiij

desidia agente, præfatis diebus vllus placitum habere, & populum nobis commissum, a seruitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sanctimus & præcipimus, ut nullus comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse veniat: ne forte, dum iejunare & orare, atque pro salute suæ animæ debet inuigilare, vaniloquiis & contentionibus cogatur laborare.

## XXXVI.

Dicit. 50. Si  
duo fratres.

Si contingat duos fratres simul arborem succidere, siue in silua, siue quocumque loco, & cadente arbore, alter alteri, Fuge vel caue dixerit, & ipse stans, siue fugiens, subtus ipsam arborem deuenierit, & mortuus fuerit, superstes frater, innocens de morte defuncti diiudicetur. Quia non voluntate, non incuria illius, non denique consensu, nec vlo suo mortem incurrit reatu: sed dum ambo insisterent operi necessario, incautus & insperatus casu arboris depressus est, nemine penitus adiuuare valente. Hanc eamdem statuimus diffinitionem de ceteris similibus, siue cognatis, siue nulla proximitate coniunctis. Istam diffinitionem tenuere patres nostri apostolici viri: ideo eorum exempla sequentes, per futura tempora inuiolabilem eam custodimus, & posteris nostris sequendam transmittimus: quia graue peccatum est, & nostro ministerio contrarium, innocentem opprimere, & securum crimine, scienter criminosum habere. Quidam de sapientibus ait: Premit insontes debita sceleri noxia poena iustusque tulit crimen iniqui.